



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

II. De causa Peccati, calamitatum, & mortis humanæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

et intellexisse, et Ecclesie perspicuam doctrinam de his materijs tradidisse.

Illud etiam dignum consideratione est, quod Plutarchus scribit in uita Cleomenis, ex Bobus putrefactis apes, ex equis uestras, ex asinis Scarabeos, ex hominibus uero putrefactis, Serpentes nasci. Cum enim serpens initio uirus suum homini adflauerit, ex eo contagio serpentes postea nascuntur.

II. Locus.

DE CAUSA PECCATI, calamitatum, et mortis humanae.

Philosophi propinquas et minus principales malorum humanorum causas utcumque cernunt, uident licet Errores mentis in iudicando, et prauas cupiditates iudicio mentis repugnantes, id dicitur $\eta\gamma\alpha\rho\iota\sigma\tau\iota\sigma\kappa$ $\delta\epsilon$ $\kappa\alpha\iota$ $\pi\acute{\alpha}\nu\tau\omega\pi$ $\epsilon\pi\iota\theta\upsilon\mu\iota\alpha$ $\delta\epsilon\iota$. Malorum omnium origo est cupiditas. Deinde mortis humanae, morborum et ceterorum $\alpha\upsilon\tau\omicron\mu\acute{\alpha}\tau\omega\pi$ causas in materiae fluxibilitate et astrorum positu collocant. Sed radicem omnium malorum et causam principalem sola Ecclesiae doctrina in hoc tertio Capite Genes. proponit.

PRIMUM autem haec sententia firmissime retinenda est, Deum non esse causam peccatorum, nec uelle,

uelle, nec efficere, nec approbare peccata, & condidisse naturas rationales, ita ut bonæ essent, ut dicitur. Vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant ualde bona. Psal. 91. Rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo. Soph. 3. Dominus iustus in medio eius non faciet iniquitatem. Deut. 32. Deus absq; ulla iniquitate iustus est & rectus. Psal. 5. Non Deus uolens iniquitatem tu es. Cum hisce uerbi diuini oraculis congruit etiam saniorum & sapientum Ethnicorum sententia, ut Plato grauis: inquit πλ. 6. *Omni contentione pugnandum est, ne quis in ciuitate quam bene regi uolumus, uel dicat uel audiat DEVM causam esse alicui malorum.* Et Homerus ὁδὸς. 5. *ὄν μὲν οὐδέ τι ἔργα θεοὶ μάκαρες κλέουσι, ἀλλὰ δὴ ἄλλω τίθει.* Et Plutarchus citat Euripidis dictum, εἰ θεοὶ τι δρῶσιν αἰσχρὸν, οὐκ εἰσὶν θεοὶ. *Si Deus quid turpe facit, non est Deus.*

SECUNDO. Certum est naturas rationales ita conditas esse, ut libere agerent, ut de homine dicitur Eccles. 15. *Deus reliquit hominem in manu consilij sui, proposuit ei uitam & mortem, Bonum & malum & c. Estq; LIBERTAS humana uoluntatis, facultas indita hominum naturæ, qua potest uel le obiectum monstratum, uel reijcere, uel suspendere actionem, uel sic, uel aliter agere.*

TERTIO. Diaboli & homines sua uoluntate, libere, sine ulla necessitate, & sine ulla coactione

I 3 auerte

auerterunt se à Deo, & peccatum, mortem ac omnia generis calamitates in mundum inuexerunt, ut dicitur 1. Ioh. 3. Ab initio Diabolus peccat, id est, primus auctor peccati est Diabolus, Iohan. 8. Hic homicida erat ab initio, id est, primus occidit hominem Rom. 5. Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors. Cum enim Deus ita condidisset homines, & tanta uirium excellentia instruxisset, ut ipsi obtemperare possent si uoluissent, & uerbum eis tradidisset, in quo uoluntatem suam patefecerat, homines ultro & sua sponte à Deo defecerunt, dum non acquiescunt in uerbo tradito, sed Diaboli mendacia amplectuntur.

QVARTO. Multa inextricabilia possunt contra hanc ueram sententiam ab hominibus ingeniosis colligi. Ac tres sunt materiae, de quibus praecipue disputatur.

- I. De Praeuidione seu Praescientia Dei.
- II. De Permissione, cur Deus permittit hominibus labi cum posset impedire lapsum.
- III. De sustentatione, Cum Deus sustentet naturam peccantem, uidetur occasionem peccandi praebere, ut inquit Cotta apud Ciceronem. Si rationem Dijs hominibus dederunt, utiq; malitiam etiam dederunt.

Primum autem DE PRÆUIDIONE seu DETERMINATIONE hoc simpliciter tenendum

dum est, Res ita praeuideri à Deo, ut fiunt, non ideo fieri quia praeuisae sunt, ut Eclipses non fiunt propter Astronomi praedictionem, sed ideo praedicuntur, quia futurae sunt. Sic praeuidet Deus lapsum primorum parentum, nec necesse est primos Parentes peccare propter diuinam praeuisionem. Sed ita praeuidentur actiones primorum parentum quales sunt. Quod autem Praeuisio seu Determinatio diuina non sit Stoicum & immutabile decretum, nec imponat necessitatem peccandi, inde manifestum est, Quia omnibus comminationibus poenarum adiuncta est conditio poenitentiae. Ierem. 38. Item in historia Ionæ Deus decretum de euertenda Niniue retractat. Vide dist. 38. primi sententiarum.

DE PERMISSIONE hoc simplici: teneamus. Quemadmodum hi, qui in summo periculo nauigationis sapientem gubernatorem petulanter excutiunt, iuste ab eo deseruntur & pereunt, sic primi parentes contumaciter repudiantes mandatum Dei, & Diaboli mendacia amplectentes, iustis ordine à Deo deserti & relictis sunt.

Hac simplici responsione, quae haud dubie uera est, contenti simus, nec plus sapiamus quam par est, sed nos ipsos accusemus, quod nostra petulantia Deum offendimus, ut Daniel exclamat: Tibi Domine iniusticia, nobis autem confusio faciei. Et Dauid, Tibi tantum sum peccator, & malum coram te feci, ut tu iustificeris &c. Quod si quis hac simplici respon-

sione non est contentus, is sciat Deum non posse cogi, ut reddet nobis rationem omnium quæ facit aut permittit.

DE SVSTENTATIONE, sciamus Deum non sustentare naturam peccantem propter peccatum, sed propter immensam misericordiam, qua non vult prorsus interire suum opus, & de hominibus amplius dici potest, Deum sustentare & conservare genus humanum, ut inde sibi æternam Ecclesiam colligat, & ut impijs spaciũ ad agendam pœnitentiã concedatur, sicut pater aliquamdiu fouet filium contumacem, non quod scelere delectetur, sed ut facilius hac mora emendetur.

Hic explicatio usitati argumenti consideretur à Philippo in Locis tradita.

Secundæ causæ non possunt agere sine primâ,
Secunda causa ut uoluntas Eux est proprie causa peccati,

Ergo etiam prima, id est, DEVS, est causa peccati.

R. ad Maiorem. Secundæ causæ non possunt agere sine primâ, scilicet sustentante seu conservante posteriores, quas conservat tales quales sunt conditæ, Ignem ut agat naturaliter, uoluntatem ut agat liberè. Et tamen liberrime concurrit prima causa, agit quantum uult, & quatenus uult, & aliter concurrat in regendis motibus cœlestibus, aliter in sustentanda Eua, cuius uoluntas habet suam quandam & pro

& propriam actionem. Hæc est uera explicatio. Et si autem homines contentiosi miros labyrinthos in his materijs struere possunt, tamen omnibus opponamus hanc cœlestem uocem, Non Deus uolens iniquitatem tu es &c.

III.

DE MODO ET OBIE-
cto peccati primorum Pa-
rentum.

Omne peccatum est uiolatio Legis diuinæ & contemptus Dei. Quæcunq; igitur sunt obiecta externa, quæ possunt esse dissimilia, tamen primum & principale obiectum peccati est Deus, & Lex Dei requirens cordis & omnium actionum externarum congruentiam cum uoluntate Dei. Nam peccatum nihil aliud est, quàm contemptus Dei, & discessio à uerbo Dei, & auersio uoluntatis à Deo, quam sequitur conuersio ad externum obiectum illicitum & prohibitum.

Quare cum de lapsu primorum parentum dicitur, non solum pueriliter esus pomi intuendus est, sed primum defectio mentis, & auersio uoluntatis à Deo, & negligentia ac contemptus uerbi & mandati diuini, aspiciatur. Deinde electio externi operis seu conuersio ad obiectum illicitum, hoc est, ad pomum,

I s in quo